



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

De idea renouationis nostri, spectanda in Octiduana Recollectione. Cap. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

C A R V T I S E C V N D V M

De idea Renouationis nostri spectanda in
octidvana Recollectione, & in quodam
meditationibus.

QVò autem certò agnoscas, quid sit perfe-
ctè viuere, vel vnde petenda sit renoua-
tionis tui Idea, cui tua omnia conformare de-
inceps debeas, hi sunt Magistri qui te docebunt.

I. Tua conscientia. Sufficientem Magistrum habe-
mus, inquit S. Chrylost. Conscientiam, & fieri notè
potest, vt quis illo adumento priuetur. Nam simul cum
formatione hominis insita est, faciendorum & non fa-
ciendorum scientia. Ideò P. Balthasar Aluarez dans
monita cuidam Religioso, sic scribit ad il-
lam: Ne internou. morum reformationem negli-
gas, nec Magistrum ipsum internum, qui sensim inge-
nit, quid sequendum, quid fugiendum, quid toleran-
dum sit.

Sed multos alios, ait idem Sanctus Chryloste
præter Conscientiam, Præceptores nobis Deus proposuit,
agricultores negotiorum pressuras, paupertatem, mul-
tâ pericula & multa talia.

II. Exempla Sanctorum in eorum vitis tibi ad
imitationem proposita. Virtutes Sanctorum, in-
quit B. Laurentius Iustinianus in literis annotatis,
sunt, tanquam luminaria in opacâ noctis caligine, vi-
toribus exposita, quâ sine offensione pergere, & ad
quem suæ peregrinationis finem, intentionem suam fi-
stere debeant. Si volueris autem, ait S. Chrylosto-
mus, etiam Apostolorum virtutes assequi, nihil te pro-
hibebit. Solum enim voluntas, ac seruentissimus virtutis
amor, tibi sufficet.

III. Vita Christi Domini, ad quam moribus no-
stris exprimecda vñ aspirare debemus, postquam
Sanctorum viuendi rationem fuerimus plenè
affecuti. Hac potissima Incarnationis Verbi causa
fuit, ait B. Laurentius Iust. quatenus per assumptum
hominem documenta saluberrima (quod Magistri
& Doctoris munus est) tribueret Deus, quibus pec-
cator homo amissa recuperaret dona, deformatam re-
formaret imaginem, & caesam, ad quam longauerat
multum, remearet ad patriam.

Desiderans enim Deus nos esse simillimos in
virtutibus Domino nostro Iesu Christo, vt ait
S. Aug. Quia incredibile videbatur hominibus quod
promittebat Deus, ex hac mortalitate, corruptione, ab-
iectione, infirmitate, puluere & cinere futuros homines
æquales Angelis Dei, non solum Scripturam cum homi-
nibus fecit vt crederent, sed etiam fidei suæ posuit me-
diatorem vnicum Filium suum, vt quâ via nos perdu-
cturus esset ad illum finem quem promisit, per eum ip-
sum Filium suum, & ostenderet & præberet. Parum enim
erat Deo, vt Filium suum faceret demonstratorem viæ,
eum ipsum viam scire, vt per illum ires, regerentem se,
ambulantem per se. Non est præsumptio, velle in
hac renouatione nostræ imaginis, aspirare præ-

fectio Diuinæ gratiæ ad similitudinem & imita-
tionem Christi, Deus enim id exigit ab omni-
bus per Apostolum Paulum: Estote imitatores Dei, Ephes. 5. 1.
sicut filij carissimi. Sed vnde audeat, inquit S. Bern. ser. 83. in
anima aspirare ad nuptias Verbi (hoc enim imita-
tio Christi Dei nostri adfert) & Respondet: Quid
non curè audeat, apud eum, cuius se inferioritatem ceruicis
immagine, illustrem similitudine nouit. Tantum curet
naturæ ingenitatem, vitæ honestate seruare, emò cele-
ste decus, quod sibi originaliter inest, dignis quibusdam
studeat morum affectuumq; renouare & decorare co-
loribus &c.

Hanc ideam sic compendio explicat S. Bo. de infor.
nati. In omnibus virtutibus & bonis moribus præpone
semper clarissimum speculum & totius sanctitatis per-
fectissimum exemplar, scilicet vitam & mores Filij Dei
Domini nostri Iesu Christi, qui ad hoc nobis de celo
missus est, vt aperiret nobis viam virtutum, & legem
discipline suo exemplo daret nobis, & erudiret nos per
semetipsum, vt sicut ad imaginem eius naturaliter crea-
ti sumus, ita ad morum eius similitudinem per imita-
tionem virtutis pro nostrâ possibilitate reformemur, qui
eius imaginem in nobis sedauimus per peccatum. Quâ-
rò enim quisque se et in virtutis imitatione hinc confor-
mare studuerit, tanto ei in primâ gloria & claritate
appropinquabit, & similior erit. Describere tibi in corde
tuo mores, & actus suos, quàm humiliter se habuit in-
ter homines, quàm benignus inter discipulos, quàm mo-
destus in edendo & bibendo, quàm misericors super pau-
peres, quibus se similem fecerat per omnia, & qui de eius
specialiter familia videbantur. Quomodo nullum spre-
uit, vel horruit, etiam si erat leprosus. Quomodo diuiti-
bus non adalabatur. Quàm liber fuit à curis mundi, nec
anxius pro corporis necessitatibus. Quàm verecundus in
visu, quàm patiens ad contumelias, & quàm mitis in
responsis. Non enim studuit se vindicare verbo mordaci,
& amaro, sed blando & humili responso alterius mali-
tiam sanare. Item quàm compositus in omnibus gestis
suis, quàm sollicitus de animarum salute, quarum amo-
re voluit incarnari, & mori dignatus est. Quomodo se
ipsum præbuit exemplum omnis boni. Quomodo mulie-
rum familiaria colloquia vitauit causa exempli; vnde
etiam Discipuli mirabantur, quando solus cum Sama-
ritana loquebatur, eò quòd quasi insolitum videbatur
in ipso. Item quàm patiens laboris & penurie, quàm
compatiens afflictionis. Quomodo condescendit in fir-
morum imperfectioni: quomodo omne scandalum ca-
uebat, quomodo peccatores non spreuit, quomodo peni-
tentes clementer susceperat, quàm placidus in omnibus dis-
cussis suis, quàm studiosus ad orationem, quàm promptus
in ministrando, sicut ipse dixit: Ego in medio vestrum
sum, sicut qui ministrat. Item quàm sobrius ad vigilias,
quàm obediens parentibus. Quomodo omnem iactan-
tiam, & singularitatis ostentationem declinauit. Quo-
modo omnem gloriam & potestatem huius mundi fu-
git. Et multa alia ipsius acta memoria sua propinqua
sunt, vt in omnibus factis, & verbis tuis, semper ad hunc,
quasi exemplar respicias, incedens, stans, sedens, & co-
medens, tacens, & loquens, solus & cum aliis. Et ex hoc
magis diliges eum, & familiaritatis eius gratiam & fi-
duciam



duciam assequeris, & in omni virtute perfectior eris. Et hac sit sapientia tua, & meditatio, & studium, semper aliquid de ipso cogitare, vnde vel prouocaris ad imitandum eum, vel afficiaris ad eum amandum. Talia meditando & ruminando tempus vtiliter expendis, dum occuparis in bonis studiis circa ipsum Dominum Iesum Christum, & mores tuos emendas, & formam vite ipsius & conuersationis semper ad eum respiciens. Qualiter in his se habuit, vel se habere potuit, secundum existimationem tuam; quia qui in omnibus semper est optimus, optimo & perfectissimo modo se gerat.

18.

IV. Regulæ & Ordinationes & omnia Statuta tui Ordinis, vel Congregationis, vel Capituli, si es Canonicus, vel Synodi Diocesanae vel Prouincialis, si es Parochus, præbent amplum & sufficiens Magisterium, etiam si alia deessent. Hoc est insitum omnibus legibus, etiam humanis & politicis: docent quæ vitanda sunt, quæ faciendæ, & morum morbos curant. Hinc Demosthenes dixit: Corporum agrotationes medicorum inausurri & operâ curari, animorum verò ferocitatem propulsari ac euicere Legumlatorum sententiis. Quapropter quicquid in te inueneris discrepans ab his quatuor Magistris, abole, vita, & contraria acquirere deinceps stude.

dr. 2. c6r. Aristogit.

CAPVT TERTIVM.

Fundamenta duo procuranda in Octiduanâ Recollectione, & in quotidianis meditationibus, necessaria pro renouatione anima.

Cætèrùm vt constans sit tui Renouatio quoad supradicta, duabus in rebus debes te fundare in meditationibus, præsertim tempore annuæ Collectionis. 1. In viuâ & profundâ cognitione necessitatis te in supradictis rebus renouandi. 2. In abscondendis à te illis impedimentis, ob quæ antea, siue per quæ, deueniebas, ad maculandam hanc in te Dei imaginem, ac similitudinem deturpandam, & faciendas contraria fini tuo, ad quem creatus, & ob quem ad tuum Ordinem vel Congregationem vocatus es. Nam nisi te benè fundaueris in his duobus, bona proposita, quæ tempore meditationum facies, non durabunt, citò redibis ad malos pristinos mores; & tepidè viuendo ac negligenter, & non iuxta perfectionis dictamina, infamabis Exercitia: vti dicebat S. P. N. Ignatius de iis quos non sperabat per ea adiutū iri.

Necessitatem te perfectè renouandi, tum aliis viis, quas Divina Maiestas ostendere solet in Exercitiis, tum his apprehendere poteris.

19. Primò, Ipsa imaginis artificiatæ natura id exigat; nam vti anno 1594. dixit nobis Cardinalis Bellarminus in quadam Exhortatione domedæ ascens. & postea scripsit in Opusculo quodam; Si imago sensum haberes, nihil magis optares, quàm perpetuè ex-

mēt. gr. 1.

emplar suum aspicere. & ad illius imitationem se componere. & illi quàm simillima fieri. Exemplar tuum, ô anima, Deus est. Et hoc ipsum ante Bellarm. S. Basilium commendauit his verbis: Homo ad imaginem & similitudinem Dei fuerat factus. Imaginè autem dignitatem illam, ac decorem peccatum, animo ad vitiosus cupiditate depresso, deformauit. Agedū igitur ad eam, in quâ ab initio eramus, & à quâ propter peccatum abalienati sumus, redeamus gratiam, nosq; rursum ad Diuine imaginis speciem conformiter exornemus: abieciq; profus omnibus vitiosis animi affectionibus, sedulo operam demus, vt orsus nostri Authori similes efficiamur. Qui enim in seipso, quantum in ipso sit, nature Diuine liberrimam affectionum tranquillitatem imitatus fuerit, hic desiderata prius in animo suo Dei imaginem restituit pristino nitore. Qui verò eo modo, quo diximus, Deo se similem effecerit, is profus Diuine etiâ vite similitudinem acquisiuit perpetuè deinceps in assequenda vsq; beatitudine mansurus. Si igitur vitiorum vacuitas ea est, per quam amissam Dei imaginem recuperamus, & similitudo, que cum Deo nobis est, vite nobis aternitatis largitur, haud dubiè in hoc toto pectore debemus incumbere, vt animus noster nullius inquam vitij opprimatur tyrannide, illudq; diligenter curare, vt neutrobi mens nostra euariet, neque propter illos tentationū impetus, se in terram patiat prosteri, vt hoc modo in Diuine beatitudinis societatem venire possimus.

Imago enim, vt ait S. Ioannes Damascenus, ab imitando nomen habet, quasi diceret imitatio, que illum in se, cuius est imago, tanquam eius effigies, exprimit, & similitudo. Nam Græcum εἰκων, ab εἶκω, id est, a similo, represento, deducitur: vti ex Concilio II Nicæno docet Sanderus l. i. de ador. imag. c. vlt. §. Leoni. Esse autem similem Deo, inquit S. Chrysostr. h. 33 ad est omnium summa bonorum. Cùm ergo sis rationalis imago Dei, debes optare & te renouare, vt sis Deo simillimus. Homo enim idcirco creatus est, inquit S. Gregorius Nyssenus, vt esset Diuine ac supernæ virtutis animatum quoddam simulacrum.

Secundò, Dei immensi intima præsentia & perspicacia, cernentis magis nos & nostra omnia, quàm possint videri ab humano oculo facies nostræ. Si ergo venturi in conspectum hominū, erubescimus comparere in publico, scientes nos habere maculatam faciem vel vestem fatentis, ideoque quamprimum hæc abolere nitimur, quantò magis id faciendum est, ob maculas & fordes animæ, & ob respectum infinitæ puritatis & sanctimonie nobis intimè præsentis, & omnia cernentis, & summè abhorrentis ab omni maculâ, animam, quæ est domus eius & habitaculum, fœdante: Non est quisquam, inquit S. Basilium, qui vbi verè præstantiorem adesse aliquem sibi persuasit, eo spreto, se ad minus præstantem conuertat: quin contra potius si aliquando inciderit, vt quæ facit, ea clarioris illius opinione ac iudicio approbentur, ab altero autem illo reprehendenda videantur, haud dubiè ille, sprete inferioris vituperatione, clariore illius approbationem antiquiorem habebis. Quod si hoc in hominibus contingit, quid tandem putandum sit, animam,

f. deinst. mouach.

Phil.

11. h. 10. in Euang.

lib. 1. ep. 116.

or. 3. de imaginib.

Cap. 7. in conc. 1. 70. conc. 1. 11. 118.

h. 33 ad

POP. or. de it. fantib. qui præstanti- re ab ipi.

20. Reg. 1. 10.

Phil. de Spi. S. 3. & 4. cont. H. nomi. Chryst. 3. in epi. Coloss. Bern. 1. in Qui h. dicit.

22.